



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 6. An Clericus, qui habet bona Patrimonialia sufficientia, potest sibi
sumere ex bonis Ecclesiasticis partem suæ sustentationi necessariam, &
disponere de Patrimonialibus, perinde ac si careret ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

ejusmodi bona sunt bona Deo consecrata, utpote intuitu religionis & cultûs divini, perinde ac bona Beneficiorum, data ad sustentationem Ministri, & alios pios usus. Nec fideles dant illam pecuniam ut mercedem operis, vel pretium laboris, (nam hoc esset Simonaicum, cum opus & labor sint spiritualia) sed ut necessitatis & subventionis stipendium, inquit S. Thom. q. 100. a. 2. ut scilicet Clerici habeant unde sustententur, & siquid supersit, in pios usus impendant, & pauperes alant pro suo officio. *Oblationes quæ à populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant; verum etiam ut eas fideliter dispensent, partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum divinum; partim verò in his quæ pertinent ad proprium victum, partim etiam in usus pauperum, &c.* ait Idem S. Th. 2. 2. q. 86. a. 2. Et verò bona Ecclesiæ, quæ à Patribus dicuntur bona Dei, & in pios usus impendenda, nihil ferè aliud erant tribus primis sæculis sub Imperatoribus ethnicis, quàm pecunia & alia mobilia, quæ à fidelibus dabantur Clericis titulo ministerii spiritualis.

Q. 6. *An Clericus, qui habet bona Patrimonialia sufficientia, potest sibi sumere ex bonis Ecclesiasticis partem suæ sustentationi necessariam, & disponere de Patrimonialibus, perinde ac si careret Beneficio?*

Resp. Longè plures affirmant cum S. Antonin.

nin. 3. p. tit. 15. c. 1. §. 18. & Prob. 1. exc. 16. & 30. de præbend & c. Charitatem, 12. q. 2. ibi: *justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.* Ubi nulla fit distinctio divitum & pauperum, & c. Clerici 1. q. 2. *Clerici omnes stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum consequantur.* 2. Quia qui servit altari, potest vivere de altari, ex 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis nunquam? ... Nescitis quoniam qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* & Mat. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* 3. Qui occupatus est in commodum aliorum, habet jus percipiendi ab iis necessaria ad suam sustentationem, quamvis dives sit. 4. Ex. c. *Episcopi.* & c. *Manifesta.* & sequentibus. 12. q. 1. colligitur Episcopos posse retinere bona patrimonialia cum portione Canonica bonorum Ecclesiæ. Idque supponit Alex. III. c. *Quia de testam.* ubi statuit Clericos posse testari de bonis patrimonialibus, non autem de Ecclesiasticis redditibus.

Ad Canones & textus Patrum in oppositum objici solitos, respondent Ecclesiam olim, cum ejus redditus essent exigui, statuisse ut distribuerentur solum iis qui indigerent, non autem iis qui Patrimonium haberent: postea vero hanc disciplinam mutasse.